

Francisci Lamure doctoris medici Monspeliensis Epistola ad D*,
Doctorem medicum, : quâ suam de fluxu menstruo dissertationem à Plagii
accusatione vindicat.**

Contributors

Lamure, François Bourguignon de Bussière de, 1717-1787.

Publication/Creation

Monspeli : Apud J. Martel, Regis & Occitaniae Comitorum Typographum,
1745.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/djfxwpw4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

FRANCISCI LAMURE
DOCTORIS MEDICI
MONSPELIENSIS
EPISTOLA
AD D***

DOCTOREM MEDICUM,

*Quâ suam de Fluxu Menstruo Dissertationem
à Plagii accusatione vindicat.*

CONSCRIPTAM à me, datamque luci nuper.
rimè de Fluxu menstruo dissertationem
te mitto, Vir amantissime; ibi quædam re-
eries ab iis dissidentia quæ Medicis in scholis
loceri solent, præcipuè à celeberrimi Freindi
mporibus. Non tamen is sum qui novi aliquid
eo opusculo fuisse prolatum, usquam jactare
stinuerim; nimis compertum hæbeo quantope-
nunc ubiquè ferveant studia medica & exin-
quàm facili negotio fieri queat, ut Autho-
in plagis etiam dissitissimis degentes, eâdem

de re meditentur eadem & scribant, ità ut sæpissimè unusquisque inveni sui conscius apud se, tamen pro suo in publicum venditare neque prudenter debeat neque possit, nisi plagii argui, imò quandoque, ut ut immeritus, convinci velit; ideò sub finem dissertatiunculæ, variisque ejus in locis obiter admonueram me novitati minimè ex professo studuisse, quæ à nemine dicta reperirentur, si quæ forent, pro meis assumpturum, lubentissimè sua quæque Authoribus relicturum, quos citare omnes solus memoriæ lapsus præpediverat, neutiquam verò sibi aliena affingendi malè sana libido. His fisis quæ tam sæpè in brevissimâ opellâ de industriâ inculcaveram, memet ab omni novitatis aucupandæ, multò magis ab omni plagii suspitione liberum existimaveram; sed quàm vana hæc spes fuit! Dùm propugnatur Thesis in augustissimo lyceo Monspeliensi, sedent literariæ concertationis Arbitri & Judices Professores eximii, horum placita aure avidissimâ excipiunt numerosa philiatrorum corona, ecce disputaturus assurgit, quem nosti optimè clarissimus D. Fitz-Gerald, qui plurimis in circumstantiis aliis me omni urbanitatis genere cumulaverat. Ego disputationi intereram hunc in finem ut quæ proponerentur adversus prolatam opinionem animo possem colligere, & fructum ex iis percipere; intentus itaque pendebam ab ore disputantis eruditissimi Professoris antea citati, sed quantum obstupuerim vix fando enarrare possum, dùm totam dissertatiunculam à capite ad calcem ex Authore

Anglico translata aiebat, dictis fidem faciebat ostendendo librum quem ab Authore Theseos exscriptum asserebat. Opus erat anglico idioma-
te conscriptum, à clarissimo Simson Professore Medico sancti Andreæ in Scotiâ; noveram quidem de rebus quæ ad fluxum menstrua-
lem pertinerent hunc Authorem scripsisse, imò quædam ejus placita in præfatione operibus Freindi præfixâ & in commentariis Halleri videram, sed hæc tam nudè, tam paucis verbis expressa, ut iis uti prorsus non potuerim. Hoc solum ex locis citatis credebam deduci posse, scilicet clarissimum virum longè alii ac quidem ipse institueram, methodo instituisse in iis exponendis quæ ad fluxus menstrui explicationem pertinerent. Turpiter itaque me tunc delusum fuisse incœpi credere, Professoris eruditi permotus authoritate; sed quantumcumque alienæ debeamus authoritati, sæpè philantiæ stimulos redarguere haud omninò possumus, hi me jam moverant, ut vel dubitarem de asserti veritate, vel saltem ex eo nonnihil gloriæ quærirarem cum eadem sentissem & scripsissem quæ Professor Anglus celeberrimus; ut itaque mihi met undiquè plenius satisfacerem à clarissimo Fitz-Gerald librum petii quem secum attulerat, sed ille *nondum legi* (accuratè procul dubio) *simul atque id præstitero lubentissimè mutuum dabo*; pluries indè domum illius petii, ast illum alloqui non datum est. Undique perquiro nùm dissertationem citatam alibi reperire possim; optato careo successu. Desperabam itaque me posse umquam frui præconceptâ

gloriolâ , dùm amicus monet compendiolum totius operis esse præ manibus Baccalaurei strenuissimi quod ex diariis hagenſibus ille hauserat : hæc diaria sedulus inquiero , frustra , tandem ipsummet Baccalaureum * meritissimum exoro ut illud compendiolum ad aliquot dies tradere velit. Hoc attentè lego & perlego quousque consentiant in dissertatione posita principia , cum iis quæ clarissimus Vir proposuerat anxius indago , quæ repererim habeto , Vir humanissime , ordine quantum fieri potuit dilucidissimo exarata.

Quæ de Fluxu menstruo edisserui ad quatuor capita commodissimè revocari possunt ; in iis , quæ causam determinantem & efficientem hujus evacuationis spectant , illius periodos & phænomena pro tenui modulo explicare satago. Clarissimi Simson opusculum eadem pertractat argumenta , sed variis immixta digressionibus quas recensere nostri non est instituti ; itaque non difficile erit perpendendo sigillatim quæ in utraque dissertatione proferuntur , assignare in quo consentiat aut discrepet celeberrimus Professor Anglus.

I.

Ab editâ celeberrimi Freindi Emmenologiâ potissimùm , plethoram singulis mensibus aggestam pro causâ determinante fluxum menstruum omnes fermè Medici agnovere. Hanc adversus opinionem insurgit clarissim. Simson ratiociniisque pluribus eam evertere conatur. Freindium carpit ubique ; negat ullo experimento comprobari posse quantitatem sanguinis in mulieribus

* D. Bonnel.

5

ſenſim adaugeri. Vim obſervationis ſanctorianæ quâ corpus humanum quolibet menſe ponderoſius fieri ſtatuitur duarum librarum exceſſu , & periodicâ evacuatione factâ ad priſtinum redire ſtatum , infringit omnimodè, contrariis obſervationibus à Keillio tum à celeberrimo Gorthero inſtitutis ; demonſtrat ex plethoræ tandem doctrinâ ſequi conſequenter ad venæ ſectionem inſtitutam debere fluxum menſtruum retardari , ſecùs ac docet obſervatio : hæc ſunt potiffima rationum momenta quibus adverſariorum ſententiam everti penitùs autumat Vir ille clariffimus ; quâ ſubverſâ ſuam exponit , ſtructurâ uterî ex Anatomicis depromptâ fulcit. In eo viſcere ſinus admitti debere propugnat , intrâ quos ſenſim aggeſtus cruor relicto menſis intervallo , ſibi viam aperit in emiſſaria uterî.

Qui meam legere diſſertationem non dedignabitur , facile percipiet in quo conſentientem habeam ſummum virum ſiquidem plethoræ idea, qualis fuit ab illuſtriſſimo Freindo tradita non omninò placet ; ſed & longè pluribus aliis & ante & poſt obitum Freindi eam diſplicuiſſe notiſſimum eſt. Hanc itaque oppugno ſed tantùm experienciâ duce, ratiociniis omninò diſſiſus. Idem eſſe pondus puellæ ſaniſſimæ inſtante & peractâ evacuatione menſtruâ doceo propriâ obſervatione , quod tamen juxtâ plethoriſtas debuiffet deſinente effluxu , totâ eâ quantitate imminutum obſervari, quæ evacuata fuerat : neque ex memoratâ obſervatione plethoram in menſtruantibus numquam admitti poſſe deduco , cùm è contra

tantò citiùs existimem distendendos sinus uterinos, quantò magis urgebit humorum copia in toto corpore; illud tantùm contendi posse effluxum menstruum sine plethorâ determinari; ita ut mediam quasi ineundo viam à neutrâ sententiâ prorsùs discrepem. Ast quod magis mirabere, Vir humanissime, ex eâ quam institui experientia sequitur difficultas non mediocris momenti, quæ admodùm urgere videtur Simsoniana placita; siquidem cùm nullum admittat ponderis incrementum, stante in procinctu menstrualiali eruptione, & cum ipsâ durante notabilis sanguinis quantitas per pudenda effluat, fœminam evacuatione finitâ, leviolem observari debere consequens est, secùs ac experimenti eventus commonstrat. Huic difficultati satisfacit paragrahus undecimus nostræ Theseos: hac etiam operâ obviam itur argumento Freindi quo adstruere nititur, ni plethora adesset menstrua, fore ut intrâ quinquennii spatium vix corpus obtinerent misellæ fœminæ. Dè hoc ne quidem cogitare videtur clariss. Simson. Verùm quidem est sinuosam cellulosamve uteri fabricam in nostrâ dissertatione deffendi. Sed in hoc facem prætulere quàmplures Anatomici, quos suo loco citavi fidelissimè; ex eâ quoque structurâ & observationibus anatomicis, deduximus sanguinem intrâ uterum debere coacervari sensim, sicque vices gerere causæ determinantis excretionem sanguinis menstrui, in hoc summè videor adstipulari clarissimo Simson, sed quanta tamen propiùs intuenti diversitas erit: hanc sequentia demonstrabunt.]

Diximus excretiones omnes in humano corpore observandas dividi posse in activas & passivas. Passivarum nomine ex sunt indigitatae quae solo momento sanguinis circulantis absolvi possunt, uti excretio bilis hepaticae, insensibilis transpirationis &c. Activae autem illae fuerunt nuncupatae quae praeter vim humoris circumducti, aliam superadditam muscularem exigent, sic in exemplum prodire excretionem foecum & urinæ. Observatione Littrii fretus excretionem sanguinis menstrui ad classem excretionum activarum revocavi, & ideò propugnavi sanguinem intra sinus menstruatim congestum, eos neutiquam ita posse distendere, ut viam sibi met ipsi cuderet per dilatata eorum orificia, cum distensio sinuum quae in praegnantibus contingit, utcumque multò major, non ea tamen sit quae hunc effectum inducat teste Littrio. Indè factum fuit ut cruorem illum coacervatum, hoc praecipuè titulo excretionem menstruam accersere protulerim quòd fibras uterinas distenti sinus ad eum tandem distractionis gradum deferrent, quem absque molestia ferre haud possent, undè stimulatae circumjectarum cavitatum turgentiâ, in contractionem agebantur validam quâ in sinuum ostiola hoc modo aperienda sanguinem prius aggestum propellebant, & exire cogeant quâ datâ portâ. Sic in nostrâ sententiâ actione harumce fibrarum musculari, efficienter menstruam induci evacuationem evidens est, sed è contra clarissimus Simson passivarum excretionum loco habet ef-

Auxum menstruum, non aliam hujus causam efficientem agnoscit præter vim sanguinis sensim accumulati, sensim pandentis orificia sinuum, quousque demùm viam rubro liquori concedere queant: quo semel prorumpente, fibrarum elaterem agere effluxumque accelerare, neque ullis rationum momentis, adstruit.

III.

De periodis eadem fermè habet clariss. Simson ac ea quæ de eodem argumento proposui, sed ex ejus opusculo minimè excerpta, cum plures alii idem prorsùs antea docuerint. Sic Freindus ex rigiditate fibrarum obrepente senio superventâ, cessationem effluxûs periodici deducit. Ex evolutione vasorum genitalium in mulieribus, in quantum memini, quidam desumpserunt rationem, cur non nisi circà decimum & tertium ætatis annum sui det indicia hæc evacuatio. Ibidem analogiam proponit Hallerus inter spermatopæa vasa & uterina; hinc factum est ut ex professo ad finem articuli qui complectitur hanc periodorum doctrinam, cautus admonuerim, vix à me pauca fuisse dicta quæ ab aliis sæpiùs jam excogitata non fuissent; & reverà nullum adhuc novi Scriptorem qui objectioni propositæ paragrapho decimo septimo nostræ Thezeos respondere sategerit, utcumque tamen premat omnia hucusque systemata, neque Simsoniano excepto, quæ tamquam excretionem passivam consideravere effluxum menstrualem; quod patebit evidentissimè locum dissertationis modò citatum vel leviter perpendenti: itaque ea quæ scribit

5
clarissimus Author de periodis , alii scripserant ;
& ex illis decerpere potui , & aliquid in nostrâ
dissertatione reperire est quod desiderabis in
clarissimi viri opere.

IV,

Neque potiori jure dici possum exscripsisse
phœnomenorum explicationem datam in ultimâ
parte Theseos. Hæc enim omnia repetit vir eru-
ditissimus ex pressione illatâ vasis sanguiferis ute-
ri textum irrorantibus à turgescuntibus ejusdem
visceris sinubus , undè deducit mutationes fac-
tas in humorum circulatione , quibus omnes tur-
bas instante eruptione observatas , indubitanter
adscribit ; pressionem similem ex parte sinuum
turgescuntium pati vasa uterina circumjecta mi-
nimè admitto , sed è contra proportionalem vi-
deor observatione fretus horum distensionem
deffendere. Quòd si ex difficiliore sanguinis cir-
cuitu per uterum hæc explico phœnomena hanc
difficultatem inducit sola vis fibrarum musculi
reticularis uterini prævio stimulo in actum de-
ducti ; ex eâ explicandi ratione sat intelligi da-
tur quare ea cessent symptomata aut saltem ma-
ximè imminui videantur, dùm vel incœpit erup-
tio ; nam ea ex nisu & renixu sanguinis vali-
do pendent , qui certè minores sunt simul atque
superata sunt repagula quòd fusiùs explicatur
parag. 23 Theseos.

Ex illâ symptomatum imminutione imò
cessatione difficultatem eruit , Author (quem
exscripsisse dicor) adversus plethoristarum opi-
nionem ; contendit siquidem viginti sanguinis

lucias intrà vasa exuperantes, non pares esse iis excitandis phœnomenis, aut saltem illa adhuc observari debere fatis notabilia dùm maxima harum pars in vasis adhuc concluditur, contra quod docet frequenter observatio; sed ille clarissimus Vir eodem premitur argumenti momento: quippè hæc symptomata pendere asserit ex pressione quam inferunt vasis sanguineis turgentes sinus, sed evidens est illam pressionem respondere juxtà hujus principia illarumcæ cavitarum turgescentiæ: ergò cùm necessum sit, quò tempore primæ tantùm erumpunt sanguinis guttulæ, supponere distentos sinus notabiliter, effectus illius distensionis pressio nimirum reliquis illata vasis, & pressionis talis sequelæ nempe phœnomena superesse deberent sævireque ferme ità intensè ac ante primam illam eruptionem.

Mammarum turgescentiam ex epigastricarum cum mammaris communicatione repetendam esse ait Simson, sed quis ab aliis millenis Authoribus similem explicationem fuisse prolatam ignorat?

Negat ullam esse causam finalem evacuationis menstruæ clariss. Simson, sub finem dissertationiunculæ duplicem admisi finem cui dici posset inservire hæc excretio; hinc iterum summa discriminis ratio.

Itaque ex iis concludere liceat, Vir amicissime, me non satis felicem fuisse, ut eadem cum clarissimo Viro sentirem & scriberem; hocque saltem manere inconcussum, me, nedùm exscripserim illius opusculum, ab ipso penitus

diffentiisse ferme à capite ad calcem Theseos;
 plagii itaque agi reus non debui, & quanto-
 cumque venerantiæ studio prosequar eruditissi-
 mum Professore qui talem movit accusatio-
 tionem, nullatenus à deffensione potui abstinere;
 neque dubito quin plura, si legissem opus-
 culum ipsum, discrepantia capita reperire potuis-
 sem, sed hæc prolata sufficient ut opinor ad amo-
 vendam omnem plagii suspicionem, à quo qui-
 dem me semper fuisse foreque alienissimum sin-
 cerissimè profiteor. Vale, Vir amicissime, me-
 que amare pergas.

*Innumeras vidi tum mulieres tum
 puellas quæ post reiteratas evacuationes
 tum per phlebotomias cum per emetica
 ac cathartica nec non post austeram
 dietam, menstruas statim passæ sunt
 purgationes, in quibus pléthoram uni-
 versalem accusare ridiculum foret.
 Ergo Menstrua deducenda à pléthora
 particulari in vasis uterinis in quibus
 lymphæ uterinae aggeritur et separatur
 sicut Bilis in hepate ac vesica biliaria*

MONSPELII,

Apud JOANNEM MARTEL, Regis & Occitaniæ Comitatus
 Typographum, 1745.

14
The first of these is a paper by John
H. Johnson, of the New York
Academy of Sciences, on the
subject of the "Theory of the
Earth's Crust." The paper is
very interesting and contains
many valuable facts and
conclusions. It is well
written and easy to read.
The second paper is by
Prof. J. D. Dana, of
Yale University, on the
subject of "The Theory of
the Earth's Crust." This
paper is also very interesting
and contains many valuable
facts and conclusions. It is
well written and easy to
read.

The third paper is by
Prof. J. D. Dana, of
Yale University, on the
subject of "The Theory of
the Earth's Crust." This
paper is also very interesting
and contains many valuable
facts and conclusions. It is
well written and easy to
read.

THE
JOHNS HOPKINS UNIVERSITY
LIBRARY
Baltimore, Md.